Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Peius enim fuit israheliticus populo post deprauatam legem quam
in egypto ante legem. et unicuique hominum melius est uiam
ueritatis non agnoscere quam de agnita retro redire.
Adhuc eo loquente usque foris stant querentes te. Non
simpliciter ut estimatur sed cum dolo matrem et fratres foris stare
prohibebat cupiens explorare utrum preponeret maternum
affectum predicationis officio. At ille respondens usque
meus frater soror et mater est. Non quasi nesciens interrogat
aut matrem. et matertere filios despiciens qui in lege
iubebat patrem et matrem honorare. sed ostendere uolens
maiorem esse spiritalem propinquitatem quam carnalem sicut
alibi dixit discipulis suis. qui amat patrem aut matrem
plus quam me non est me dignus. Mystice uero mater syna
goga. et iudei foris stare dicuntur. quia credente genti
litate intrare ad fidem nequibant. Sed interrogat aliquis
quomodo populus gentilis uoluntatem patris faciens mater
xpi fieri possit. Sed quia credendo fratres et sorores efficiuntur.
proculdubio mater fit predicando quando alios deo doctri
nis ad fidem generat. In illo die exiens ihesus de domo
de israheliticus uidelicet populo in quo ex uirgine carnem
assumpsit. Sedebat secus mare idem per apostolos diuersis na
tionibus predicabatur in mundo. Et congregate sunt ad
eum turbe multe. Per predicatores turbe credentium ad xpm
collecte sunt. Ita ut nauicula ascenderet usque in para
bolis dicens. Nauicula significat ecclesiam que fluctibus

Cap 13